



LVdouicus honestis parentibus Memmingē
 in Sueuia natus est, Anno post natiuitatem
 Domini millesimo quingentesimo & uicesimo
 quarto. Is cum præclaro ingenio esset præditus,
 à pueris operam literis dedit, atque prima lingua
 rum & artium fundamenta foeliciter iecit. Po-
 stea sese ad Academiam Tubingensem contulit,
 atque tanta industria Philosophiæ incubuit, ut
 artium Magister crearetur. Pari ratione quoque
 Theologiæ incubuit, ac sacrarum literarum u-
 sum sibi familiarem reddidit. Itaque Argentinam
 ueniens, eius Ecclesiæ minister constituitur. I-
 bi cum pietate & eruditione conspicuus esset, an-

no post reparatam salutem humanam millesimo quingentesimo quinquage-
 simo tertio, diè decimo nono Aprilis Tubingam redijt, & Doctoralia sibi in-
 signia magna laude comparauit. Erat actus ille admodum solennis, in quo
 ipse interfui, atque trium superiorum facultatum Doctores uno diè & lo-
 co creati animaduerti. Erant illi in Theologia D. Iacobus Andrea, & D. Lu-
 douicus Rabus. In Iurisprudentiâ D. Iohannes Christopherus à Gich, D.
 Anastasius Deiser, D. Iacobus Königspach, D. Huldricus Vuolffhardus,
 & D. Petrus Feürerus. In Medicinâ D. Iohannes Robolt, & D. Iohannes
 Iosue Baschur. Cum hoc modo uirtutis & eruditionis testimonium Lu-
 douicus recepisset, Argentinam reuersus, Casparo Hedioni in Ecclesiasti-
 ca functione successit, atque sonora uoce Euangelium afflictis conscientijs
 prædicauit.